

Epistola Dedicatoria.

nus nouum splendescere utroque! Erubescere Theologicum opus (HEROS AVGVSTISSIME,) dum audiret se mitti ad illustrissimum Principem, & retraxit non semel pedem, animos addidi, at illud ad Principis nomen trepidabat, nec mireris, timebat in maiestate impolitam rudemque mentem, fœlicitatis pedisequam, at cum sensit ad Principem mitti, sed ad te, properauit alacre, nec timuit inimicitias præclari sanguinis, & excultæ mētis: nam ut te naturæ miraculum venustent, alioqui inimici gloriæ reluctantem natura paciscunt. Esto hæc abessent, aliud me urgentius ad huiusmodi officium prouocabat: nimirum repetita erga nostras Philosophiæ lucubrations elogia. Quis encomiastem, qualem tu inter litterarum principes, aut obtinuit, aut meruit? Sanè aut dicet tua elogia amor, aut æstimatione dicet, venialiter deliqui ea audiens, etsi arrogans intumuerim: talis mihi Plinius contingat, nec Theologia primores inuidebo: Ad hæc quis vel guttulam generosi sanguinis habens responderet ingratus, siue lucrum, siue honorem inspicias ex necessitate officium hoc tibi venit. Quærebam nobilem, litteratum, pium, humanum fautorem, ad tutelam nobilem, ad errorum veniam eruditum (nam sapienti familiare est tolerare necessientem) pium cui diuina placerent, humanum, ne superbiæ fastu exiguitatem muneris sperneret, inueni Cæsareum sanguine, litteris apprimè ornatum, vsque ad hyperbolem beneuolum, ad miraculum vsque humanum, id est Te: ubi cōcordia omnium virtutum pariter & laudum eleganti confusione renidet. Ergo nutarem, ut cuique notiat, non hæc de adulationum penu; sed de veritatis thesauris deprompta, breui, & te, & genus tuum, etsi rudi penicillo obumbrabo.

Seneca
lib. 5.
Epist. 41.

Felix à progenie tua sumam auspiciam ipso antiquitatis nubilo illustrius clarescente. *Magnorum fluminum capita veneramur subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum Calentium fontes, & stagna quedam quæ vel opacitas, vel immensa altitudo sacrauit.* Certius prisca tuæ profapiæ aras erigerent, cum religiosiori mereatur cultu de annofa opacitate adorari. Verum opus non est ad tui generis gloriam antiqua exempla repetere, illustriora sunt, quæ hodie videmus quæ quæ in Lainio Calbo, & Nunno Rafura à quibus vigesimo secundo gradu generosæ propaginis, retro actis sæculis fama tonuit. Intra virtutis Heroum de *Castro, & Andrade* me cohibeam, nec adhuc calamus satis erit ad trophea, nec pagina satis ad gloriam. Ergo quidquid Cæsarum iactat Hispania, quidquid Francia augustum, quidquid Legionense Regnum nobile effert, quidquid Lusitania generosum commendat Monstrofa Maiestatum permixtione in hac vna familia de *Castro, & Andrade condensantur*, ut pene dixerim. Natura posuit quidquid ubique fuit. Afferuit Regiam Castellæ purpuram præclarissimus Dominus Ferdinandus de Castro dignus cui Rex Castellæ Alphonsus filiam in coniugium daret. Hæredem sibi parauit Ferdinandus vndique simillimum; neque nomine adhuc degenerem, nec minus regius: spectabilisve minus fuit Patrem referens à quo traxit lineamenta virtutis quam matris Maiestatem oris, qua decet imitatio-

ne